

1211.

ORDINIS MEDICI
IN
ACADEMIA LIPSIENSIS
H. T.
PRO - CANCELLARIUS
D. CHRISTIANVS GOTTLIEB
LUDWIG

THERAPIAE PROF. PVBL. ORD. FACULT. MEDICAE
DECANVS ACADEM. DECEMVIR COLLEGIORVM MAI. PRINCIP.
H. T. PRAEPOSITVS ET BEAT. MAR. VIRG. COLLEGA ACAD.
REG. BORVSS. SCIENT. ET SOC. BOTAN. FLORENTINAE
SODALIS SOCIETAT. TEVTONICAE LIPSIENSIS
SENIOR

PANEGYRIN MEDICAM
AD D. XXIV. APRILIS A. O. R. MDCCCLXVII
INDICIT
ET
DE ISCHVRIA EX TUMORIBVS VESICAE
DISSERIT.

irurg.
5,36
XXXV. 19.

Ischuria.
Tumor v.
Vesicæ nicti v.

2. V. 1. f. f.



In renibus secernitur lotium, quod praeter copiam seri, quam ex sanguine subducit, varias quoque particulas terrestres, oleosas et salinas, ut ex mixtione sana, sic etiam ex corruptis nonnunquam humoribus in morbis, qui crisi euacuatoria terminantur, cùminat. Bona igitur constitutio organorum vrinam se et excernentium efficit, vt multae particulae, corpori noxiae futurae, flumine continuato, sed per fabricam vesicae interdum ad tempus interrupto, per vias vrinarias sine vlla earum laesione transferantur. Quod si vero spasmi, inflammations vel alia incommoda profluvium vrinae impedianc aut retardent, in his viis varia concrescunt peregrina corpuscula, quae effluxum vrinae vel difficilem reddunt, vel prorsus impediunt, et ideo dysuria, stranguria et ischuria caussae sunt. De his vrinae vitiis in vniuersum agere, instituti ratio haud permittit: ergo potius pauca de vitiis viarum vrinariarum in calculosis et venereis oriundis praemittam, postea aegrum ex tumoribus vesicae ischuria laborantem describam, et ex inuentis his in dissectione cadaueris tumoribus auxilia horum morborum, in primis ea, quae ex chirurgia petuntur, diuidabo.

A 2

Aegri

Aegri, ad calculi genesin dispositi, qui vrinam arenulis saepe densissimis refertam mingunt, vel terreas particulas cum mucosis coniunctas, vel moleculas calcareae indolis ut basin calculorum in maiorem molem excrementum excernunt, crebriora vrinae reddendae impedimenta experiuntur. In renibus enim iam irritationes et erosiones cum affluxu guttularum sanguinis, nec non leues inflammations et inde relicti abscessus, et tandem vlcera fiunt, ex quibus collectiones tartareae, sanguineae, viscidae et purulentae thrombos efficiunt, in vreteribus saepe haerentes, et eorum diametrum ex parte extenderentes, ex parte ob spasmodum intercurrentem contrahentes. Hi continuato motu tandem etiam in vesica et vrethra retenti nouis incommodis occasionem praebent. Sed calculi etiam, et minores saepe, attamen angulosi, in vrethra et collo vesicae immobiles redduntur, vel, si in maiorem molem excrecent, et tunc in vesica potissimum retinentur, in omnibus his viis irritando et erodendo summas vitae molestias inducunt.

Non tantum autem calculosi, sed etiam aegri venerea labe affecti, vel ii potius, qui ex coitu impuro ipsas vias vrinae contagio infectas habent, et gonorrhoea virulenta laborant, ad caput gallinaginis et prostatam, nec non ad glandulas folliculofas compositas, proxime ad prostatam vel etiam in reliquo vrethrae tractu sitas, exulcerationes patiuntur, quibus liberum vrinae profluuium cohabetur. Cum enim vlcerosa erosio non tantum sanie purulentam alat, sed etiam excrementiae fungosae et densores quoque carunculae ex laxis his partibus saepe excrecant, et vera vlceribus medendi ratio in absconditis his viis non semper usurpari possit, vrinae reddendae impedimenta haud raro in ipso morbi progressu occurunt. Iniectiones itaque medicatae vel cerei, medicamentis digerentibus, mundificantibus, et exsiccantibus illiti, vix sufficiunt ad viam vrinae liberam reddendam, clandestina potius vlcera proserpunt et malum augent.

Quam-

Quamquam autem potus quoque fermentatus corruptus, acidus vel vappidus, cantharidum usus externus, et multo magis noxius et venenatus internus, saepius hos morbos inducunt, medici tamen, eiusmodi symptomatibus obuenientibus, ad calculosam et venereum labem p[re]ae reliquis respiciunt, persuasi omnino, crebriores has esse caustas, in quas ideo omnis attentio convertenda sit. Crebrius autem ex venerea labe vel gonorrhoea virulenta, licet curata, vel potius per plures annos consopita videatur, haec vrinae reddenda[rum] impedimenta repetenda sunt. Tradenda tamen nunc a nobis est historia morbi, in cuius examine de omnibus his cogitauimus, ischuria[rum] tamen caussam post mortem demum in fungosis tumoribus, quos vesica conspiciebat offerebat, deprehendimus.

Vir sexaginta trium circiter annorum, vegetus et sanus, bene nutritus et obesus, qui ad vigorem et obesitatem corporis robustissimi per vitam tranquillam, cum maxima edendi cupiditate coniunctam, et per largiorem et optimum victum, interposito nobilioris vini potu, venerat, qui in tranquilla et ordinata viuendi ratione otii nimique victus incommoda vix senserat, et a multis annis morbo nullo affectus erat, qui plethoram obesam, quam nunc ad senium accedens validis corporis exercitationibus coerere non poterat, largiori venaefectione imminuere tentabat, hic ergo aliquoties de dysuria conquestus erat, quod scilicet matutino tempore vrinam prompte dimittere haud posset. Cum tamen hoc obstaculum non quotidianum esset, et paulo post vrina semper et iteratis vicibus sine incommodo flueret; in sola caustae disquisitione substiti, nec vlla hac in re remedia propinaui, praeter ea, quae interdum prophylactica huius viri cura vernali et autumnali potissimum tempore exigebat. Praeter infusa purgantia nonnunquam sumebat salis acidularum Egranarum vnciam semis, et largam copiam harum aquarum superbibebat, quo facto non tantum aliis saepius mouebatur, sed vrinae profluuum expeditissimum erat.

A 3

Quam-

Quamquam vero cognoscebam, eum non tantum in iuniore aetate, sed etiam ad senium accedentem veneri maxime deditum fuisse, iurauit tamen, se nunquam morbo, ex impura venere oriundo, laborasse, neque ego vñquam indicium huius rei in eo animaduerti. Ex habitu corporis de clandestina calculi genesi saepius cogitauit, sed nec arenulas, nec mucum arenulis refertum, vñquam in vrina conspexi, quae potius, quoties eam vidi, semper vrinæ fanae signa habuit. Quamobrem ne tunc quidem, cum interdum de vrinæ difficultate conquerebatur, specialem medendi rationem elgebam, in primis cum transitorium esset malum, quod iam ad dysuriā senilem referebam.

Aliquando summo mane, dum vrinam reddere suscipit, ne guttulam quidem excernere potest, sed tentaminibus sub vario corporis situ et in ipsa alui excretione incassum institutis, anxius in conclaui obambulabat, et a me auxilium petebat. Mox digitis ad perinæum admotis collum vesicae premere et blandis frictionibus ad vrinam reddendam disponere allaborabam, sed frustra. Paulo post infusum oreoselini et vitellum ouorum, cum saccharo subactum, ad demulcendam vrinæ acrimoniam suadeo, et cataplasma emolliens perinæo et pubi applico, ad spasmos demulcendos, quos nisu ad vrinam summo adhibito forte excitatos fuisse suspicabar. Post duas horas iterum accedens, aegrum nullum leuamen inde percipere, sed potius vrinæ reddenda nisu augeri cognosco. Ad catheteris igitur auxilium propero: at chirurgus, apicem huius specilli curui ad collum vesicae admouens, in via ad cauum vesicae impedimentum sentiebat. Disquisiuimus itaque semel iterumque confinia perinæi, quod in homine adeo obeso difficultate non carebat, sed nullam inuenimus caussam, cur cathetere accurate introducto vterius progredi non possemus. Chirurgus, qui non vehementi, sed moderata pressione instrumentum vterius promouere intendebat, tandem obstaculum superare videbatur: cum autem filum argenteum ex catheteris canali educe-

ret,

ret, non guttula vrinae, sed sanguinis aliquot vnciae profluebant, sine ullo tamen aegri dolore, quem alii saepius, si collum vesicae a chirurgo cathetere asperius vrgetur, sentiunt. Nisi enim ipse adstitisset, et partes vicinas accurate disquisiuissem, forte culpam in chirurgum conieciisset, sed doloris absentia in aegro et cauta obseruatio contrarium indicabat.

Cogitaui postea de venis varicosis ad collum vesicae tumenibus, et licet ante paucas hebdomadas venaefectio larga prophylactica instituta fuisset, ad auertenda tamen inflammationis incommoda venaefectionem iterum suadeo, magnamque sanguinis copiam ad duodecim vncias et ultra subducere iubeo. Exhibebam paulo post emulsiones ex feminibus demulcentibus, et alias cum gummi ammoniaco soluto, interponebam oleum amygdalarum dulcium et iuscula, epithemata varia resoluentia, discutientia, emollientia et clysmata reiterata non negligebam, sed nullum auxilium inde obtinebam.

Accersitis altero die quibusdam medicis amicis, quo consiliis comparatis et indicationis ratio melius pateret, et apta medicamenta feligi possent, accersito etiam alio chirurgo, qui variis tentaminibus et catheteribus mutatis obstaculum superare intendebat, res tamen aegri meliores non reddebat. Varia illa auxilia, quae vel specifica diuretica dicuntur, etalia, quae febriles motus compescabant, venaefectiones, clysmata, epithemata, fuisse recensere supersedeo, cum affirmare cogar, ea omnino omnia prorsus inutilia fuisse. Fluida parcius dedimus, licet aeger sitiens ea maxime expetebat. Increscebat tamen vesica super pubem adscendens, etiamsi in perinaeo et ad collum vesicae tumorem auctum non perciperemus, quod non obesitati tantum, sed singulari obstaculi rationi adscripsimus, cum de punctura vesicae semel iterumque dispiceremus. Febris sensim in putridam vergebant, sudor largus vrinae odorem spargebat, pulsus debilis et tardus aliaque sympto-

VIII

symptomata succedebant, quibus vires exauftas cognouimus, et intra quintum et sextum diem ab initio morbi aeger obiit.

Cum autem in omnibus consiliis a nobis captis cognosceremus, ischuriae pertinacissimae caussam non tam in collo vesicae, quam paulo altius quaerendam fuisse, obstaculum illud, quod in viuo definire non potueramus, sectione cadaueris, facile nobis concessa, detegere suscepimus. Abdomine igitur aperto, omnia viscera sana et valida inueniebantur, intestina quidem flatibus turgebant, ita ut ad reliquorum viscerum perlustrationem eo aptius instituendam aerem acu punctura expelleremus, varietas tamen assumtorum medicamentorum caussam prodebat. Vesica quidem post mortem non adeo tensa, sed paulo flaccidior erat, insignem tamen vrinae vim continebat: in renibus et vreteribus nullam labem deprehendimus. Cruciata itaque sectione vesicae facta, vrina protinus effluebat, et quod reliquum erat spongiis fugendo eduximus, quo facto ante collum vesicae tumores in iconе delineatos tactu magis, quam visu disquisiuimus. Quo autem eorundem indolem melius perspiceremus, vesicam cum membro virili et vrethra in eo continuata separauimus, et incisionem ad hunc partium situm produximus. In collo vesicae igitur, ad caput gallinaginis, et in vrethra tota, nullam labem morbosam perspeximus, neque ob irritationem, a catheteris applicatione pendentem, vila inflammationis vestigia percepimus. Tumores autem ita collocati erant, ut minor, nucis auellanae magnitudinem referens, ferme in medio, sed paululum dextrorsum, ad orificium colli vesicae, non angusto pedunculo, sed ampliori quodammodo basi adhaereret; maior vero, nucis iuglandis magnitudine, sinistrorsum magis, basi etiam non nihil expansa accresceret. Hi tumores steatomata referebant, tactu densa, non nihil resistentia, superficie quodammodo inaequali, non tamen prorsus dura, sed non nihil fungosa, venis varicosis nunc collapsis conspicua. Maior etiam a parte inferiori orificium habebat,

quod

quod ad angustum cauum ducebat, hoc vero catheteris immisione supra indicata factum erat; penetrauerat nimirum instrumentum in medium tumorem ita, ut sanguis ex venis turgentibus flueret; ob densitatem tamen superficie non porro penetrare et vrinae eductionem tandem efficere potuerat. In cauo huius tumoris aliqua pars sanguinis congrumati haeret, et sine villa inflammatione cauum non nihil conquaustum erat, nullus etiam dolor ob nervorum sensibilium defectum perceptus fuerat.

Tumor itaque minor, saepe ex situ suo ad ostium colli vesicae pressus, impedimentum facile superandum exhibuerat, maior autem in ipso morbi exortu contracta vesica ita dimotus fuerat, ut totum orificium praecluderet et obturaret, nulloque modo remouendus esset, cum pressio per catheterem facta eundem potius pertunderet, quam remoueret.

Ex fonte igitur pharmaceutico remedia ad hunc morbum superandum apta peti non poterant, nec aliquem fore timeo, qui hac ex parte vel penuriam artis, vel incuriam medicorum accusare possit: num vero chirurgica opera vel curatio morbi, vel solatium tantum aegro praestari potuisset, paucis adhuc a nobis disquirendum est.

Cum ergo viuo adhuc aegroto locus impedimenti, vrinæ profluvio oppositi, proxime ad collum vesicae certus esset, de calculo autem nihil plane constitui posset, de tumore aliquo cogitatum est. Chirurgiae igitur praecepta vesicam incidere, et tumorem scalpello, vel aliis auxiliis separare iubent. Quomodo autem vel exercitatissimus chirurgus sine catheteris applicatione, et sine specillis curuis et sulcatis, in lithotomia applicatis, locum incisionis ad collum vesicae eligere et definire potuisset? Forte tamen, etiamsi hoc fieri nequit, vesica prope collum, per vrinam extensa et tumida reddita, locum in perinaeo prodit. Sed et tunc, cum tumor in vesica ipsa na-

B

tus

tus obicem ponit, locus ille nec turget, nec sine metu laesio-
nis partium vicinarum inciditur. Summa quoque obesitas,
quae in aegro nostro fuit, disquisitioni se opposuit, ea enim
in principio, et antequam de necessitate perinaei incidendi
solliciti essemus, nos in partium situ et catheteris directione ta-
ctu disquirendis saepe impediuerat. Quamquam enim pun-
ctionem perinaei ad vrinam subducendam necessariam cogno-
ueramus, rationem tamen eius administrandae non inueni-
mus: si enim vel acu triquetra, vel lanceola applicata, eum in
locum peruenissemus, ad quem applicatione catheteris deducti
fuimus, tamen in tumorem magis, qui obsistebat, quam in ca-
num vesicae peruenissemus.

Sed cum aeger diu sine solatio esset, non amplius de re-
mouendo obstaculo, sed de vrina quacunque demum via sub-
ducenda, cogitandum fuisset, ut hoc praestito de excogitandis
et melius applicandis aliis remediis consilium capi potuisset.
Quoniam vero incisio in perinaeo locum non habebat, ea su-
per os pubis fieri potuisset, cum et calculi per hanc viam in ap-
paratu alto extrahantur, et nunc vesica ab vrina maxime di-
stanta super os pubis multum emineret. Sed summa aegri
obesitas et hac in re nobis obfuit, quo minus incisionem in
viuo tentaremus. Quibusdam etiam nimis timidi videbimus,
quod incommoda in vulnere hoc faciendo et aperto seruando
forte oboritura nimium metuerimus: ipsa tamen disquisitione
cadaueris intelleximus, hanc operationem in obesis non aequa-
re in macilentis perfici posse, cum ad trium pollicum distan-
tiam in pinguedinem penetrandum esset, antequam ad muscu-
los abdominales et per hos ad vesicam duceremur. **Q**uod
si vero vrinam hac via eduxissemus, et obstaculum in tumorib-
us inuenissemus, eos tamen in abscondito hoc loco extirpare
haud potuisset.

Tandem quoque de alia via vrinae aperienda cogitan-
dum fuisset. Tumidam saepe vesicam versus intestinum re-
ctum

Etum percipiebat chirurgus, clysmata applicans: nonne ergo hoc in loco et per intestinum rectum vesica perfodi et vrina subduci poterat? Acus triquetra, in hunc finem inuenta, cognita quidem nobis erat, sed intra breve temporis spatium non ad manus esse poterat.*) Cum autem post annum similis ischuria nullo modo leuanda se offerret, acus triquetra incurua applicata, et maxima vrinae copia per cannulam subducta est. Sperabamus quidem in hoc aegro excretionem vrinae per vrethram iterum liberam fore, postquam nimia distensio sublata esset, sed spes inanis erat. Etsi enim interdum quaedam guttulae per vrethram secedebant, maxima tamen pars per cannulam in intestino recto relictam effluebat, ideoque nec hunc aegrum servare potuimus, qui, licet tardius, tabe tamen consumtus periit. Doleo certe, agnatos huius aegri disquisitionem cadaueris mihi et amicis, qui curam eius habuimus, non concessisse, quo in hoc, ut in illo altero, caussam fluminis vrinae prorsus interceptae, quam in tumoribus obicem ponentibus coniectura assequebamur, accuratius definire potuissimus; facile tamen appetet, nos aegro, de cuius morbo praecipue egimus, instrumento hoc applicato non penitus, sed palliatue tantum auxilium laturos fuisse, vera enim curatio non sperari potest, nisi tumoribus remotis via per vrethram iterum aperiatur.

In pertinaci igitur hac ischuria auxilia chirurgica quidem non prorsus intermittenda sunt, veram tamen curationem iis nunquam efficiemus, si tantum impedimentum in angusto vesicae collo, vel proxime ad hoc cauum, deprehenditur, hinc seriem remediorum et auxiliorum tantum commemorauimus, quo, quidquid forte in eiusmodi aegris tentari possit, perspiciatur.

B 2

Sed

*) Cl. FLVRANT acum triquetram cannula cinctam incuruam inuenit, qua vesica per intestinum rectum perfoditur, et acu retracta vrina educitur. Vid. Cl. POUTEAU *Mélanges de Chirurgie* p. 500. et Cl. CAMPER in demonstrationum anatomico-pathologicarum libro secundo.

Sed missis his, ad officii mei rationem nunc exequendam
me conuento, et Cl. Candidatum, qui assiduo studio in arte
salutari addiscenda versatus est, breui commemoratione vitae,
hactenus cum laude peractae, commendo.

VIR NOBILISSIMVS ATQVE DOCTISSIMVS

D O M I N V S

G O D O F R E D V S F R O E L I C H

MEDICINAE BACCALAVREVS DIGNISSIMVS

Natus est in pago ditionis Zittauiensis, Eybau dicto, anno huius
seculi tricesimo quarto, die quarto mensis Augusti, a pauperi-
bus quidem, honestis tamen parentibus, patre nimurum 10 A N-
N E G E O R G I O et matre A N N A R O S I N A R E V S S I A.
Cum optimi hi parentes curarent, vt prima religionis et litera-
rum initia filio traderentur, P. R. H E I N I T Z Art. Mag. et Pa-
stor Walddorfensis, qui non tantum discendi cupidinem, sed
etiam ingenii praestantiam in nostro obseruauit, a paren-
tibus id obtinuit, vt eius institutioni crederetur, quam
ad elementa latinae linguae retulit. Huic itaque primo fortu-
nae suae auctori gratias nunc persoluit maximas, is enim effe-
cit, vt anno aetatis undecimo in Gymnasium Zittauense deduci,
et optimorum praceptorum doctrina frui posset. GERLACHII
Rectoris, B U C H N E R I Conrectoris, STRAVPITZII Sub-
rectoris, GRÜNWALDI Cantoris, FRÜAVFFII et BRAV-
NII disciplina usus est, et memoriam horum praceptorum,
qui omnes, praeter BRÜAVFFIVM, iam e viuis discesserunt,
pie colit. Cum autem duos annos cum dimidio Zittauiae
commoratus esset, pater diem obiit supremum: hinc subsidiis
ad continuanda studia destitutus recedendum ei fuisset, nisi
patronos inuenisset, qui eius inopiam subleuarent. Ex his
primo loco nominat P. R. GRÜNEWALDVM Art. Mag. olim Pa-
storem Eybauensem, postea Diaconum Zittauensem, qui No-
strum

strum non tantum domo excepit, beneficiisque cunctulauit, sed
alios quoque patronos ei conciliauit, gratus enim profitetur,
se a celeberrimis Familiis GEBHARDIS, BESSERIS, NEV-
MANNIS, atque BOETGERIS, in vniuerso suorum studio-
rum decursu liberalitate ornatum fuisse. Maximi etiam facit
benevolentiam Exper. Medicorum HEFFTERI et RÜCKE-
RI, quorum ille post obitum GRÜNWALDI Nostrum non
tantum hospitio et conuictu excepit, sed etiam consiliis adiuuit,
hic vero anatomes initia et aliquam historiae medicæ literariae
cognitionem ei tradidit. Omnibus itaque his adminiculis ex-
citatus, et rei familiaris angustia vtcunque subleuata, tandem
ad medicinam in academiis tractandam impulsus et praepara-
tus, Lipsiam, quae etiam indigentium studiosorum alma
mater est, accessit, sub initium anni quinquagesimi septimi, et
a b. GOTTSCHEDIO, Rectore Academiae Magnifico, in nu-
merum ciuium academicorum receptus est. In philosophicis
doctrinis MÜLLERVM, GOTTSCHEDIVM et WINKLE-
RVM, in Mathefi pura RDOLPHVM, in applicata HEIN-
SIVM praceptoribus habuit, et S. R. ERNSTIO rhetorica
et Ciceronis orationes explicanti adfuit. In medicorum scho-
las postea transiit. Botanicam, anatomen, physiologiam et
materiam medicam a BOSTO accepit, eiusque exercitationibus
exinatoriis et disputacioniis interfuit, ab eo etiam multis
beneficiis adiutus est, inter quae non ultimo loco ponenda
est cura, quam graui morbo decubenti praestitit. IAN-
CCKIO et HUNDERTMARCKIO in anatomicis exercitationi-
bus adstitit, et ab hoc etiam in chemicis doctrinis instructus
fuit, vberiorem autem chemiae et materiae medicae institutio-
nem POERNERVVS tradidit, qui ei et copiam fecit eos ae-
gros inuisendi, qui eleemosynis publicis nutriuntur. In mine-
ralogia et arte obstetricia GEHLERVM sequutus est. PON-
LIVS in physiologia, et PLAZIVS, Ordinis nostri Senior
grauissimus, in pathologia et materia medica eum instruxerunt,

B 3

hoc

XIIII

hoc etiam duce exercitationes medicas examinatorias et disputatorias suscepit. Ego vero, qui eum in scholis meis publicis et priuatis pathologicis, therapeuticis, clinicis, chirurgicis et forensibus, nec non in exercitationibus practicis attentum et frequentem auditorem cognoueram, eius studia, quantum in me est, adiuuare nunquam intermis; et cum cognoscerem, eum ob rei familiaris angustiam et imbecillem sanitatem ad ultimos in arte nostra honores capessendos non proptere posse, eum domo excepit, quo mihi proximus esset, et labores meos in cura aegrorum et commentariorum de rebus in scientia naturali et medicina gestis, cum indicibus conficiendis, tum speciminibus typographorum corrigendis, adiuuaret, in quibus rebus mihi etiam maxime utilis fuit, et aegrorum, quibus adstitit, benevolentiam assiduitate et morum integritate sibi acquisiuit. Sic decennium academicum, quod in tristia belli tempora incidit, satis comemode absoluit, et paupertate pressus prudenter summi Numinis multis modis expertus est. In coniuvorio Electorali diu nutritus fuit, ab amplissimo Senatu Zittauensi stipendum accepit, tum Syluersteinianum minus, et Quellmalzianum, ab Ordine nostro in examine probatus, forte obtinuit, et orationem in memoriam L. B. de SYLVERSTEIN, *de medico naturae vestigiis sedulo insidente*, eruditæ scriptam, recitauit. His vero beneficiis adiutus, eam doctrinæ praestantiam acquisiuit, quam in variis speciminibus declarauit. Anno sexagesimo mense Aprili examen theoreticum sustinuit, et prima medicinae laurea honoratus est. Anno sexagesimo secundo mense Iulio in Lectionibus pro Licentia *de venenorum efficacia infringenda* disseruit, et anno sexagesimo quarto ad practicum examen admissus, eam rerum medicarum peritiam declarauit, quam ab iis exigimus, qui Doctoris titulo ornandi, et ad medicinam faciendam admittendi sunt. Cum etiam anno sexagesimo quinto Exper. WIPACHERVS Dissertationem *de phlogisto animali ut variorum morborum medela*

medela defenderet, Cl. Candidatum solum sibi elegit. Hoc deinum anno de summis in arte medica honoribus capessendis cogitauit, et dissertationem *de morbo miliarie* elaborauit, quam sub Praesidio Excell. BOSII die vigesimo quarto Aprilis publico dissentientium examini exponet. Ego vero colloquio eruditio finito, et oratione recitata, qua *bilaritatem ut causam sanitatis* considerabo, postea officio Procancellarii lubenter defungar, et Cl. Candidato, cuius assiduitatem, morum praestantiam, et acquisitam rerum medicarum cognitionem multis modis cognoui, Licentiam Doctoris titulum sumendi publice tribuam.

Quo autem panegyris splendidior sit, RECTOREM
ACADEMIAE MAGNIFICVM ILLVS RISSIMOS
COMITES VTRIVSQUE REIPUBLICAE PROCERES
GRAVISSIMOS, nec non HUMANISSIMOS DO-
MINOS COMMILITONES, ea, qua pars est, obseruantia
et humanitate obtestor atque rogo, vt nobis beneuole adsint,
et ita Ordinem nostrum, Cl. Dn. Candidatum et me sibi ob-
strictissimos reddant. Dabam Lipsiae Dominica Paschatos.
A. O. R. MDCCCLXVII.

LIPSIAE
LITTERIS VIDVAE LANGENHEMIAE.



ICO-

* * * * *


ICONIS EXPLICATIO.

Vesica vrinaria cum parte vrethrae, ab anteriore parte
aperta.

- a. a. Corpus vesicae.
- b. b. Partes eius incisae et vtrinque reclinatae.
- c. Collum vesicae.
- d. Tumor maior.
- e. Tumor minor.
- f. Vrethrae pars aperta.
- g. Eminentia caput gallinaginis dicta cum orificio medio.
- h. h. Orificia ductuum excretiorum prostatae.
- i. i. Corpus cauernosum vrethrae.
- k. k. Vreteres abscissi.
- l. l. Vasa deferentia abscissa.
- m. m. Vesiculae seminales.
- n. n. Prostata.
- o. o. Musculi erectores.



Chir. 213



Chir. 215, 36